ORATIO SOLLEMNIS

DE

LVTHERI ELOQVENTIA REPVRGANDAE RELIGIONIS PRAECIPVO ADMINICVLO

IN

DIEM SOCIETATIS LATINAE NATALEM

IN

SPLENDIDISSIMO AVDITORVM CONSESSV

DIE X. KAL. SEPTEMBR. ANN. CIↃ IↃCC XXXXVI.

RECITATA

A

M. IO. FRIDERICO ECKHARDO

EIVSDEM SOCIETATIS COLLEGA HONORARIO.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR

PATRES ACADEMIAE VENERANDI

SOCII CLARISSIMI SVAVISSIMI

AVDITORES CAETERI, NOBILITATE GENERIS, DOCTRINA, ET VIRTVTE CONSPICVI.

CIRCVMACTVS iterum eſt annus inde ab illo tempore, quo naſcendi conditio ſocietati latinae obtigit feliciſſima. Viget, floret, ſocietas latina, et tot periculis, non modo litteris, ſcientiisque omnibus, ſed vniuerſae Germaniae interitum minitantibus, defuncta, inconcuſſa ſtat, maioribusque ſplendoris incrementis aucta, fulget. Non ignoratis, AVDITORES, quam turbida, quam incerta, quam funeſta paucis ab hinc menſibus fuerint omnia. Aduolabant ad nos Muſae, armorum ſtrepitu ſedibus ſuis pulſae, vt in hoc bonae mentis domicilium, velut in portum, ſe reciperent: quas quoties intuebamur, toties periculi imminentis, longiusque dima-

nantis, triſtiſſima argumenta oculis cernebamus. De eo quidem certi eramus, noſtras terras, non aeque ac alias bello eſſe deuaſtandas, nam illud ſingulari principis noſtri ſapientia iam erat cautum: turbae autem ac calamitates, quibus bellum adiacentes quoque regiones obruere ſolet, an experiundae nobis ſint, de eo maxime incerti. Quodſi itaque, recurrente iſto die, quo nata primum ac dedicata eſt ſocietas latina, pietatis quoddam munus eſſe duxit, ſollemnes ſtatasque ferias celebrare, Deoque gratias, quantas maximas animus capit, agere, quod florem atque incolumitatem ipſi conceſſerit: quanto magis, hodierna luce, hoc fungi officio, conuenit, qua terras noſtras, licet omnia bello ardere videntur, a belli calamitate intactas, academiam noſtram florentiſſimam, ſocietatem denique latinam, ſub ipſius vmbra tutam, ac ſecura quiete perfruentem, conſpicimus. Tantus eſt ſummi Numinis erga litteras bonasque artes fauor, tamque prouida in rebus diſponendis, ac coordinandis cura, vt, quum caeteroquin, vt aqua ignem exſtinguit, ſic Martis ſaeuitia Muſas perditum it; hoc tempore, inſolita et inaudita prope ratione inter media arma incolumes manſerint. Non autem reconditae ſunt cauſſae, quare Deus ſingulari curae ſibi habeat honeſtas artes, ſed et omnium aetatum exemplis compertum, et hominum ſapientiſſimorum iudiciis comprobatum eſt, humanam et diuinam ſapientiam tam arcto inter ſe vinculo contineri, vt aut nunquam, vel raro, vna ſine altera floruerit. Nam etſi quidem diuiniores litterae ſibi ipſae ſufficiunt, ac propria ſua luce radiant; tamen quum obſita ac circumſepta tenebris ſit mens noſtra, ad has diſpellendas adminiculis quibusdam opus eſt, praeſidiisque certis, ne diſpulſae tenebrae mox reuertantur. At quorum miniſterio vterentur diuiniores litterae? Vt erroris et impietatis praeſidia a falſa ſapientia, artibusque vitiatis petuntur; ita artes bonae verae ſapientiae, veritatisque diuinitus traditae, adminicula ſunt. His illuſtrari, his ex ſacris litteris erui, his aliis tradi vult. Quod, vt dilucidius cognoſcatis,

AVDI-

AVDITORES, percurrite mecum, ſi vacat, temporum ſuperiorum memoriam, et quibus praeſidiis profligata ſint errorum monſtra, quibus veritas, diuinitus data, contaminata erat, apud animum cogitate. Non poteſt non VOBIS admirabilis illa, et omnium ſaeculorum, omniumque gentium praedicatione digniſſima, rerum ſacrarum in melius conuerſio in oculos incurrere, quam vir, vt credibile eſt, diuinitus excitatus, LVTHERVS, non modo primus tentauit; ſed poſtea incredibili ſucceſſu feliciter abſoluit. Quibus enim rebus a tot improbiſſimorum hominum mendaciis, fraudibus, atque commentis, non animis, ſed dominatui in animos, proficientibus, repurgata eſt religio? quibus rebus oppugnata eſt romani praeſulis immanis potentia, duriſſimumque iugum, quod ceruicibus noſtris impoſuerat, excuſſum? Num armorum vi ſuperatus eſt romanus praeſul? num belli fortunae cedere coactus eſt? minime. Opibusne res eo deducta eſt, an auro argentoue animi corrupti ſunt, atque a Pontifice abalienati? nequaquam. Erat enim LVTHERVS, ab his omnibus imparatiſſimus, monachus, homo inops atque egens. Quid igitur in illo reperiebatur, quo tam admiranda effecta ſunt? Erat homo litteris, honeſtisque artibus, probe imbutus, maximarum rerum ſcientia praeditus, linguarum cognitione, quarum ante eum omnes fere erant ignariſſimi, inſtructus. Litterarum itaque ope vſus eſt LVTHERVS? * ita eſt omnino. Vindicarunt denique litterae iniuriam, a pontifice ſibi illatam, qui metuens ab iis potentiae ſuae, in exilium illas egerat. ** Harum auxilio, vt ſol exoriens nebulas disiicit, vt ventus aream purgat, ita errorum monſtra disſipata ſunt, et deturpata miſere veritas diuina, repurgata,

 priſti-

* confer hic Viri magnifici atque ſumme venerabilis FRID. ANDR. HALLBAVERI, ſocietatis Latinae Directoris excellentiſſ. *Diſſertationes*, quas inſcripſit: *Eccleſia Lutherana politioris litteraturae patrona*, et LVTHERVS *politioris litteraturae aeſtimator.*

** vid. ſi placet fratris amantiſſimi CHRIST. HENRIC. ECKHARDI, *orationem de detrimento litteris elegantioribus a pontificibus romanis illato.*

priſtinoque nitori reſtituta eſt. Intelligitis, opinor, AVDITORES, ſi litteris, bonisque artibus tribuimus, quod natiuam ſuam integritatem receperint diuiniores doctrinae; nullam harum partem ab hac laude iure poſſe excludi, ſed potius vnam alteri ſubſidio veniſſe, et coniunctas id effeciſſe, quod ſingulae, aut ſeparatim praeſtare haud potuerunt. Tametſi vero haec, vt certe ſunt, veriſſima iudicanda ſunt: illud tamen negari haud poterit, vel maiora eſſe commoda, quam vna prae altera attulerit, vel luculentius ſaltim animaduerti poſſe, quantum haec vel illa emendandis ſacris profuerit. Quemadmodum vero inter diſciplinas illas, quae ad humanitatem pertinent, princeps facile locus adſignandus eſt eloquentiae: ita huic quoque praecipua huius laudis pars iure merito deferenda eſt. Quum itaque monente iſto die, qui paucis abhinc menſibus poſt duo ſaecula recurrit, quo LVTHERVS, vir immortalitate digniſſimus, mortali vitae conditione cum immortalitate commutata, piorum aeternam ſedem et locum conſequutus eſt, a ſocietate latina iniunctum mihi ſit, vt memoriam diuinarum LVTHERI virtutum recolam; et cum noſtra in illum pietate ſatis congruere, nec a noſtris deſtinationibus abhorrere exiſtimaui, ſi ſummam, qua LVTHERVS polluit, dicendi vim, praecipuum repurgandae religionis adminiculum fuiſſe demonſtrauero. Nam quum tantis illum, tamque ſingularibus ſupra caeteros mortales virtutibus floruiſſe inter omnes conſtet, quarum praeſtantiam, non dicam, exaequare dicendo, ſed adſequi cogitando difficile atque arduum eſt, nolui pictores imitari, qui, quum ingentem aliquam multitudinem hominum exprimere volunt, nonnullorum vultus tantum atque ora, multorum ſumma modo capita oſtendunt, totum reliquum corpus abſcondunt; ſed potius ex innumerabili copia eorum, quae de illo dici poſſunt, vnicum potiſſimum deſumere, atque illud animo proponere, in id intueri, in eo mentem animumque defigere, conſultum putaui. Etſi vero, quia hanc, quam modo dixi, viam ingrediar, mirum quantum,

quod

quod mihi impoſitum eſt, onus alleuatur; tamen, quum nusquam, niſi in LVTHERI, aut huius ſimilis ore, par tantis laudibus facundia reperiri poſſit, facile mihi euenturum intelligo, vt oratio mea longe multumque infra rei dignitatem iaceat. Connitar igitur, quantum potero, vt eo impoſitas mihi partes expleuiſſe videar, ſi ſummi huius viri laudes, quae ob dicendi vim ipſi debentur, breui expoſitione in memoriam VOBIS reuocabo, eaque, in quibus defecero, enixo celebrandi ſtudio compenſabo.

Nolite putare, AVDITORES, ſi ſummam in LVTHERO eloquentiam fuiſſe dicam, me aut paruum, aut exile quiddam de illo praedicare, aut quod ad ipſius laudes parum, aut ſaltim non multum interſit. Maius profecto quiddam eſt, quam forte aliquis exiſtimat, aliquo inter oratores loco ac numero haberi. Quid enim eſt, cur in reliquis artibus atque ſcientiis, reconditis maxime atque abditis, ex omni aetatum memoria, innumerabiles prope exſtiterint, qui non vna aliqua in re ſeparatim elaborarint, ſed omnia, quaecunque poſſent, ſcientiae cogitatione comprehenderint: oratorum autem tanta ſemper fuerit paucitas, vt boni perditi nulli, vix autem ſingulis aetatibus tolerabiles inueniantur? Nihil profecto aliud hic in cauſſa eſſe poteſt, niſi incredibilis rei magnitudo ac difficultas. Conſtat enim ipſo TVLLII iudicio, hoc eſt, eius viri, qui perpetuo omnium conſenſu, eloquentiae laude ita numeratur primus, vt ab eo nemo numeretur ſecundus, conſtat, inquam, eloquentia ex iis rebus vniuerſis, in quibus ſingulis elaborare permagnum eſt. Quid vero illud eſt, in quo praecipua oratoris laus poſita eſt, et ſine quo magnifico hoc nomine indignus plane iudicandus? illud, quod dicendo tenere hominum coetus poſſit, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, vnde autem velit, deducere. Haec, ſi quis inani verborum volubilitate ſe conſequi poſſe contenderet, aut oratione, nullo librata ſententiarum pondere, ille merito vnicuique deberet ludibrium. Pernoſcat aliquis omnes animorum motus, quos homi-

Digitized by Google

hominum generi natura attribuit, non ignoret omnem antiquitatum exemplorumque vim, multis vigiliis, multo labore ac ſtudio, haud vulgarem ſapientiam ac prudentiam ſibi comparatam habeat, denique ab ipſa quodammodo natura ita factus ac formatus ſit, vt omnia verbis apte compoſitis et ad delectationem adcommodatis eloqui calleat; tum demum oratoris nomen ſibi arrogare, atque cum laude tueri illud poterit. O ſplendidiſſimum, omnique laude cumulatiſſimum nomen! cui ipſa eorum penuria, qui ſuſtinere illud poſſunt, ſingularem dignitatem conciliat. Qui te cum laude gerit, eum omni doctrina, omnibusque artibus politiſſimum eſſe, dubitare nequit, qui te, vt par eſt, tuetur, eum natura, in talibus ingeniis producendis parca, ipſa inſtruxit, atque ad tam arduum munus deſtinauit. At tanto nomine, qui non modo vnanimi eorum conſenſu, quibus, poſthabitis praeiudicatis opinionibus, iudicium ferre licuit, ſed ipſa inuidia fatente, dignior iudicandus ſit, ex longa aetatum memoria, praeter LVTHERVM, deprehendo neminem. Haec, vt vere a me dicta eſſe intelligatis, AVDITORES, quum ex pluribus collectum quiddam ſit eloquentia, hoc loco per partes ire mihi liceat, atque nihil harum defuiſſe, nullam in LVTHERO requiri, demonſtrare. Iisne igitur donis, quod primo loco ob oculos nobis ponamus, AVDITORES, iisne donis, a fautrice natura inſtructus erat, ſine quibus, ſummo licet adhibito labore ac diligentia, in orandi facultate ne ad mediocritatem quidem peruenire aliquis poteſt? Sunt haec alia animi, alia corporis. Iis vtitur tum ad inueniendas, tum ad coordinandas res; his vero ad eas ita eloquendas, vt animis nolentibus etiam influant, ac motus quosdam efficiant, ad id, quod volumus, obtinendum, adcommodatos. Quodſi vero acerrimi atque infenſiſſimi ipſius hoſtes, non denegatas ei a natura eſſe praeclaras animi, corporisque dotes, faſſi ſunt, qui caeteroquin obtrectandi ac conuiciandi libidine abrepti, ita inſanierunt, vt apud ipſos adſeclas enormiter mentiendo fidem perdiderint: dubitari profecto non

poteſt,

poteſt, noſtrum, iis non mediocribus, ſed ſummis omnino, praeditum fuiſſe. Audiamus igitur Floremundum Raemundum.* LVTHERVM, inquit, *multis, tam corporis quam animi dotibus praeditum fuiſſe, negari non poteſt.* Videtis hic, AVDITORES, teſtimonium, quod ipſa veritas, homini maleuolentiae pleno, extorſit. Prodidit enim ſatis maleuolentiam, ſed ſimul inſaniam, quum, vt monſtroſae Iunctii et Cardani fabulae de natali LVTHERI die faueret, qui, en lepidas nugas! eius a religione ſeceſſionem praeſagiret, in alium, quam quidem contigit, diem, natiuitatem eius audaciſſime reiecit.** Ita quoque Paullus Langius,*** homo cucullatus, noſtrum *ob magnitudinem ingenii, ac dexteritatem, toto in orbe clarum fuiſſe teſtatur.* Non diſſentit Pallauicinus,* qui ita de eo loquitur. *Fuit* LVTHERVS *acuto viuidoque ingenio, propenſus ad ſtudia litterarum.* Tandem ipſe quoque Maimburgius,** at hoc quis LVTHERO inimicior? noſtrum, *ingenio viuido, et ſubtili, natura facundum fuiſſe fatetur.* Excelluit igitur LVTHERVS iis animi corporiſque dotibus, ex ipſa ſententia aduerſariorum, ex quibus, quum magnos a natura impetus ſumat eloquentia, non potuit non, ſingulare quid efflorescere, ſi exquiſita rerum cognitio his acceſſerit. Quid? doctrinae ſuppellex, artiumque ſcientia, vt, quae dicenda erant, notis quibusdam diſtinguere ac illuminare poſſet, qualis in eo, et quam admirabilis fuit? Quae enim eſt diuinæ, quae humanae ſapientiae pars, quam, ſi non penitus hauſerit, plane intactam reliquerit? Quot in ſcientiis ita eminuit, vt in vnam harum per totam vitam omni ſtudio incubuiſſe, videatur? Num igitur philoſophiam, omnium bonarum

B artium

* *de Origine et Progreſſu haereſium Lib. I. Cap. V.* verum huic nomen eſt Ludouico Richeomio.

** conf. ISAACI MALLEOLI *diſſertatio* de genitura LVTHERI Argentor. 1617.

*** in *Chron. Ziticenſi* ad ann. 1520.

* in *Hiſtor. Concil. Tridentini Lib.* I. *Cap.* IV.

** in *Hiſt.* LVTHER. *Lib.* I. *Sect.* VIII.

artium procreatricem, eloquentiaeque in primis ſalutarem attigit? Non ſolum attigit, ſed ſolide eam perceptam tenuit, neque eam modo perceptam habuit, ſed etiam a doctis ſcholaſticorum ineptiis purgauit. Haec eum docuit, quae probanda ſuſcepit, acute circumſcripta concluſione conficere, in huius officinis didicit, audientium intimos ſenſus pertractare, et quaſi gubernaculo quodam linguae, arbitratu ſuo impellere. Quanta praeterea diligentia, quantoque ſtudio praeſtantiſſimorum auctorum monimenta peruolutauit, et quantum hinc praeclariſſimarum rerum verborumque adparatum conſequutus eſt? Quid de inſigni eius in hiſtoria peritia loquar? quam tum ſacram, tum profanam, tum veterem, tum nouam ita excoluerat, vt in ſuccum et ſanguinem conuerteret, hoc eſt, rerum exempla ac imagines, morumque regulas atque praecepta inde deſumeret. Quid igitur mirum, ſi quacunque de re dicere ingreſſus eſſet, optimis et adcommodatiſſimis exemplis, ad confirmandum id, quod volebat, nunquam non abundaret? Quid mirum, ſi inuſitata quadam dicendi facultate, de obſcuris dilucide, de confuſis ac perturbatis, ordinatim, ac diſpoſite, de dubiis enucleate diſſereret, quum mirificae indoli tam admirabilem rerum copiam adiunxerit? Etſi igitur ex iis, quae hactenus prolata a nobis ſunt, ſummam in LVTHERO fuiſſe dicendi vim ac copiam, manifeſtum ſatis atque planum eſſe exiſtimo: non tamen abs re futurum opinor, ſi illud teſtimoniis quibusdam confirmabo. Commemoratu dignum eſt Philippi Melanchthonis de eo iudicium, perſpicaciſſimi ſane harum rerum aeſtimatoris, quando *eloquentiae*, inquit, *ipſius perpetua monimenta exſtant*, *quae par fuit haud dubio iis*, *in quibus oratoria ſumma fuiſſe exiſtimatur.* * At forte amicitiae hic plus tribuendum eſt, quam veritati. Prodeant igitur ipſius inimiciſſimi. Pallauicinus ** de epiſtola quadam LVTHERI iudicat, *cunctis eam artibus ſcriptam eſſe*, *quae docet*

* Exſtat hoc in ipſius *oratione, in funere* LVTHERI *recitata.*

** in *Hiſt. Concil. Tridentini Lib.* III. *Cap.* X.

cet hominem vera eloquentia. * Et quid maius aut luculentius Varillaſii ** teſtimonio eſſe poteſt, quo inuitus procul dubio LVTHERVM ornat, quando *perfectiſſima*, inquit, *in eo erat eloquentia, rationis humanae robur detexerat, noueratque aditus, per quos penetrari poſſet. Nulli auditorum affectus, tam varii, aut inaequales erant, quos non indagaret, et ſedare aut excitare poſſet, prout opus eſſe putabat.* Et quot his alia, quae huc pertinent, addere poſſem, ſi plura in re confeſſa, ad fidem faciendam requirerentur. *** Sed dicat fortaſſis quiſpiam, his teſtimoniis fidem haberem, niſi alia multo plura exſtarent, quae non dicam eloquentiam, ſed omnem prope diuinarum, humanarumque rerum peritiam dubiam LVTHERO reddunt. Quam innumera his paucis obuerti poſſunt, quae LVTHERVM hominem ſummae ruditatis, atque inſcitiae fuiſſe perhibent. Non ignoro ingentem multitudinem more canum, lunam allatrantium, concurriſſe, vt quidquid poſſent, quacumque ratione poſſent, de ſummi huius viri laudibus detraherent, quos autem nulla re magis, quam ſilentio ac contemtu confutandos eſſe, arbitror. Sciunt omnes, quotquot rerum tum geſtarum non plane incurioſi aut ignari ſunt, non veritatis ſtudium, ſed inuidiam eos armaſſe, aut ſeruilem reliquis papicolis adulandi libidinem illos feroces feciſſe. Non luculentius intelligi poteſt, quo loco eiusmodi iudicia habenda ſint, quam ſi vnum eumdemque, qui ſummis illum laudibus extulit, mox ſummo contemtu de illo loqui audimus. Quid eſt, Pallauicine, quod loco quodam, * in tot LVTHERI operibus, *ne vnam quidem periodum inueniri*, impudenter dicas, *quae incultum ac aggreſte quiddam non prae ſe*

 ferat,

* conf. DORNMEIERI *diſſertat. breuis, de* LVTHERO *humaniorum litterarum cultore* p. 10.

** in *Hiſt. de haereſi Lib.* III. p. 225.

*** conf. IO. ALBERTI FABRICII *Centifolium Lutheranum Part.* I. p. 425. et viri plurimum reuerendi PAVLI IACOBI ECKHARDI, patruelis honoratiſſimi, *Vindicias* LVTHERI et MELANCHTHONIS *ab infami pictura commendatariorum Iutroboccenſium* §. 3. et 8.

* *Hiſtor. Concil. Tridentin. Libr.* III. *Cap.* X.

ferat, quum tamen alio loco, vti mox audiuimus, de epiſtola quadam ſentis, *cunctis eam artibus ſcriptam eſſe, quae docet hominem vera eloquentia?* Quid eſt, quod tui obliuiſcaris, quod ea, quae modo dixeras, rurſus retractes? Dicis fortaſſe, te tum, quum ita iudicares, epiſtolam illam nondum legiſſe. Sed num LVTHERVS eo ſaltim tempore, quo epiſtolam illam conſcripſit, tanta dicendi vi polluit, et ante id tempus eloquentiae rudis plane ac expers fuit, et poſtea penitus iterum oblitus eſt? Num hoc cuidam, qui recte ſecum putat, perſuadebis? Fallis, Pallauicine, fallis, et cum pudore omnem ſimul fidem perdis. Non LVTHERI laudibus, vti moliebaris, maculam adſperſiſti, ſed tibi, quod perpetuo doleas perpetuam maleuolentiae notam inuſſiſti. Et tandem, ſi ita eſſet, vt mentiris, quare tot eloquentes vnicum rudem et agreſtem hominem dicendo vincere haud potuerunt? Quomodo fieri potuit, vt res, cui nullum vnquam tempus parem vidit, quae ardentiſſimis quidem votis, per multa retro ſaecula expetita, ſed ob magnitudinem ac difficultatem vix ſperari poterat, tam mediocri ex tua ſententia, vel potius nulla dicendi vi, tamquam praecipuo adminiculo, effecta ſit? Sane, etiamſi ignoraremus, quam omnibus ad dicendum vel doctrinae, vel artis praeſidiis abundauerit LVTHERVS, neque tot aduerſariorum, quae illud planum faciunt, teſtimonia proſtarent: tamen ex eo, cuius adminiculum fuit, eam non exiguam, ſed ſummam omnino fuiſſe, poterit exiſtimari. Cogitate igitur, ſi placet, AVDITORES, quae tum ſacrae reipublicae fuerit facies, atque veram ipſius imaginem oculis atque animo proponite, et num abſque ſumma dicendi vi, ad eum, quo quidem perducta eſt, locum, euehi potuerit ſacrorum emendatio, vosmet ipſi iudicate? Fuit, eheu, fuit, inquam, triſtiſſimum tempus, quo diuina oracula, non ad monſtrandam veram, quá ad ſalutem itur, viam populo proponebantur, ſed ad firmandam vnius hominis potentiam et auctoritatem vulgabantur. Fuit, quum ſanctiſſimi libri, qui nobis ſcripti ſunt diuinitus, fallaci interpretatione, miſere in

hanc

hanc partem detorquerentur, et, quod omnem fidem ſuperat, inter ipſa peccata numeraretur, hos diligenter verſare, hos vſui ab auctore praeſcripto adcommodare; procul dubio, non ob aliam cauſſam, quam, vt eo tutius mentiri liceret. Non homo igitur amplius, ſed Deus iactabatur romanus praeſul. Huius vox pro oraculo, nutus pro ratione, iuſſa pro legibus habebantur, hunc ſanctiſſimum ac beatiſſimum eſſe, hunc diuino quodam auxilio regi, et numine adflari, hunc in ea cauſſa, quae de religione eſt, nunquam aberrare poſſe credebatur. Non itaque ſanctiſſimorum veritatis diuinae doctorum ſcripta euoluebantur, ſed pontificum ſanctiones atque decreta inſpiciebant, ſi de rebus maximis, atque ob ſublimitatem ſuam rationi humanae non peruiis, ſtatuendum erat. Neque vero apud illos modo, quorum intererat, tantum pontificis volebat auctoritas, neque in vulgus modo imperitorum inueterauerat haec opinio ſed reges quoque ac caeſares, velut peſtilenti quodam ſidere, adflauerat, vt crimen morte expiandum omnibus videretur, ſi quis aliter, quam quidem Deus ille creditus, ſentiret, vel ſtatueret. Iam apud vosmet ipſos cogitate, AVDITORES, an hoc aliud quidquam in oculis omnium fuerit, quam coelum, terramque miſcere, totumque orbem maximis motibus concutere, quum LVTHERVS hisce peſtibus remedium adlaturus, romano praeſuli obnuntiare primum auderet? Quid putatis, quanta ſubito exorta ſit animorum commotio, et quam diuerſae, diuerſorum circa hanc rem affectiones fuerint? Alii cum pontificis potentia et auctoritate, ſuam quoque in diſcrimen vocari praeuidebant, et nequitiam ſuam, ſimul et ignorantiam in luce poni. Alii, quorum mens iſtis praeſtricta erat praeſtigiis, religionem, rem omnium cariſſimam, ſibi eripi credebant. Alii, quum excuſſo quaſi ſomno oculos aperire inciperent, et quam male ſecum actum ſit, tandem aliquando intelligerent, ad alterum extremum delapſi, rem omnem fucum eſſe ſibi perſuadebant. Qua igitur re iſtorum ſaeuitia refrenari, horum exulcerati animi emolliri, et, qui omnia

Digitized by Google

pro nihilo ducebant, in viam reducendi erant? Nulla re, neque vſus eſt veri cultus diuini inſtaurator, neque alia plus proficere potuiſſet, quam ſumma, qua pollebat, eloquentia. Non vi quadam externa cogendi ſunt animi, qua ſibi illata non aliter, vt equi aduerſus frenum contumaces, ſeſſore habenas rurſus adducente, magis, atque magis efferantur. Multi e contrario oratione conficiuntur, qui ferro confici nunquam poſſunt. Redarguebat itaque ac confutabat publice et ſcriptis, et e ſuggeſtu, dogmata, quaecunque deprehendebat peſtifera, ſuaque, vel potius diuina confirmabat, ac conſtituebat. Quae, quum ſingulari dicendi vi ac grauitate condiret, hoſtium acerrimorum impetus atque inſultus, ita profligabat, vt de ſuis magis defendendis, quam alienis oppugnandis conſilia capere cogerentur. Emolliendi quoque erant exacerbati errore animi, et ad ſanitatem perducendi. Quid autem ad haec efficienda orationis vi adcommodatius? Hac eiiciebat ex animis eorum falſiſſimam, et ſibi maxime noxiam opinionem, quaſi omnem religionem funditus tollere velit, quum a corruptelis ac inquinamentis eam purgaret. Hac errorum, quos reiiciebat, foeditatem ita viuide iis ob oculos ponebat, vt ipſi illos deteſtari ac exſecrari inciperent. Quemadmodum vero, qui grauiter aegrotarunt, etiamſi priſtinam valetudinem recuperaſſe videntur, nihilominus medici ope ac conſilio indigent, vt ad firmitatem quoque perueniant: ita quoque neceſſarium erat, vt imbecillitate vacillantes ac deficientes confirmaret, aduerſariorum potentia deiectos erigeret, malis artibus abalienatos reuocaret, quae omnia excellenti orationis flumine, eloquentiaeque vigore praeſtitit atque perfecit. Et quot his alia addere poſſem argumenta, ſi mihi copia orationis magis conquirenda eſſet, quam VESTRA ſatietas refugienda. Nolo itaque hic copioſius enarrare, quam grauiter nugatorem iſtum Eccium diſputatione, Lipſiae inſtituta, viribus eloquentiae fregerit, et quam multos ex audientibus ad partes ſuas adlexerit. Omitto recenſere, quam fortiter ac animoſe in Comitiis Wor-

Wormatienſibus coram Caeſare ac proceribus cauſſam ſuam orauerit, et quanta dicendi grauitate ac libertate oſtenderit ex ſolis ipſius Dei oraculis, confutandos eſſe, ſi quos foueret, errores. Non dicam de pernicioſiſſimis turbis, ab Anabaptiſtis, quos vocant, et Wittebergae a Caroloſtadio excitatis, quas facundia ſua ſedauit, cui enim haec et multa alia, aut cui potius inter VOS ignota eſſe poſſunt. Videtis igitur, opinor, AVDITORES, vt inter ignes luna minores promicat, ſic prae reliquis eminere vtilitates, quas ad purgandas a ſuperſtitione ac ignorantia hominum mentes, diuinaque luce eas colluſtrandas, eloquentia LVTHERI praeſtitit. Praeluſerunt tantae tamque ſalutari rei elegantiores litterae, linguaeque eruditae, hebraea quippe, aeque ac graeca, et latina. His ipſe LVTHERVS probe excultus, his inſtructus atque ſuccinctus, immenſum illud, ac prope incredibile opus adgreſſus eſt. Nulli harum parti ſuae vtilitates, ſua commoda, ſua adiumenta deneganda ſunt. Ipſa eloquentia, cui tantum tribuendum eſſe oſtendimus, ex reliquis collectum quiddam eſt atque conflatum. Quodſi vero hic bonarum litterarum, atque inprimis eloquentiae ope, diuiniores doctrinas a ſordibus ac corruptelis vindicatas eſſe dicimus, nolite exiſtimare, AVDITOERS, quaſi nihil diuinae gratiae et auxilio, nihil verbo Dei, eiusque vi ac efficaciae tribuamus. Quoquo enim nos vertimus, aut quocumque intuemur, ſingularia, minimeque obſcura diuinae benignitatis veſtigia deprehendimus, et ſi vmquam animaduerſum eſt, acerrima vi praedita eſſe oracula diuina, hoc certe tempore luculentiſſime illud adparuit. Non excluditur diuinum auxilium, neque infringitur verbi diuini efficacia, ſi manſuetiores litteras inſtaurandae veritatis adiumenta, atque eloquentiam praecipuum inter humanas artes adminiculum fuiſſe dicimus. Quid enim impedit, quo minus illud diuinae benignitatis eſſe iudicemus, non modo, quod paullo ante reuocatae ſint litterae, bonaeque artes, ſed etiam quod iis incredibilia prope effecta ſint? Quid obſtat, quo minus LVTHERI eloquentiam,

maxi-

maximum pondus ac grauitatem a verbi diuini virtute accepiſſe fateamur, quum nonniſi diuina oracula eloqueretur, his ſolum pugnaret, atque hoſtes profligaret. Ita enim diuino auxilio, ac verbi Dei efficaciae omnia tribuimus, et nihilominus honeſtis artibus, et inprimis LVTHERI eloquentiae, ſua conſtat ad inſtauranda ſacra vtilitas. Eat igitur in omne aeuum, omniumque gentium praedicatione celebretur, vnius hominis eloquentia, tot homines a tyrannide romani praeſulis liberatos, atque e tenebris in lucem adſertos eſſe. Admirentur poſteri, incredibilem iſtam facundiam, qua tot tamque potentes hoſtes fracti, proſtrati, ac deleti ſunt. Denique intelligant omnes, quantum praeſidii in litteris bonisque artibus poſitum ſit, ad integritatem diuinae veritati, et reſtituendam, et conſeruandam, vt, qui eas huc vsque adſpernati ſunt, adamare incipiant, qui negligentius coluerunt, vehementius in eas incumbant, et his tamquam armis fortiter diuiniorem doctrinam propugnent.

Tu autem, aeterne Deus, ſumme omnium rerum arbiter, ſerua, academiam noſtram, litterarum honeſtarumque artium ſedem, ad debellendam tyrannidem, et emendatiorem doctrinam conſeruandam inſtitutam. Serua, ſocietatem latinam, manſuetiorum litterarum cultricem ac barbariei profligatricem, eique maioris inpoſterum ſplendoris incrementa concede, quibus ampliora eſſe non poterunt quam, ſi numquam non ex ea prodeant LVTHERI ſimiles, hoc eſt, eloquentiſſimi.

VA1 1521 455

Digitized by Google